



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. V. Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

nebit ad constitutionem Eucharistiae, quam gratia A
per eam causata, utpote cum gratia pertineat etiam
in obliquo ad essentiam cuiuslibet sacramenti,
quia est terminus & objectum sacramenti: Conse-
quens est haec: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam, & paritatem
Majoris: Ratio vero disparitatis est, quia corpus
Christi pertinet essentialiter ad sacramentum Eu-
charistiae, non solum ut quid significatum, & cau-
satum, sicut gratia, sed etiam ut quid realiter prae-
sens & contentum formaliter sub ipsis speciebus
consecratis.

§. V.

Solvuntur objectiones contra ultimam con-
clusionem.

Contra ultimam conclusionem, in qua dixi-
mus sacramentum Eucharistiae consistere in
speciebus consecratis, & pro ipsis supponere, quae-
dam fieri solent argumenta, quae breviter hic pro-
ponemus, ac diluimus.

In primis ergo obijciunt: Sacramentum Eucha-
ristiae secundum se est adorandum vero cultu la-
triae, ut docet Tridentinum sess. 13. cap. 5. Atqui spe-
cies, etiam cum habitudine ad corpus Christi prae-
sens, confidrata, non debent adorari cultu la-
triae, quia ut saepe docet 7. Synodus, hoc cultu solus
Deus adorari debet: Ergo species consecratae, seu
ut dicunt habitudinem ad corpus Christi praesens,
non sunt ipsum Eucharistiae sacramentum, nec pro
ipso supponunt.

Secundo, Materia huius sacramenti est panis &
vinum: Sed panis & vinum non sunt materia spe-
cierum consecratarum, cum illae neque fiant ex
pane & vino; neque panis & vinum convertantur
in ipsas: Ergo species consecratae non sunt ipsum
Eucharistiae sacramentum.

Tertio, Sacramentum Eucharistiae conficitur
per verba consecrationis: At hoc non convenit
speciebus Eucharisticis, neque praecise secundum
se consideratis, quandoquidem non fiunt, sed re-
manent; neque ut dicentibus relationem ad cor-
pus Christi, cum ad relationem non detur actio:
Ergo idem quod prius.

Quarto, Eucharistia est verus cibus animae: At
species consecratae non sunt animae cibus aut po-
tus, sed duntaxat corpus & sanguis Christi: Tum
quia Joan. 6. dicitur: *Caro mea verè est cibus, & san-
guis meus verè est potus*: nullibi autem in Scriptura
legitur quod species consecratae sunt cibus & potus
animae. Tum etiam, quia gratia quae animam spi-
ritualiter cibata ac reficit, non producit etiam in-
strumentaliter à speciebus consecratis, cum id
praestare nequeant, nisi mediante aliqua virtute
divina; quae tamen superflue omnino ipsis com-
municaretur, quandoquidem corpus, seu huma-
nitas Christi sub illis contenta, sufficientem adhuc
habet virtutem: Ergo sacramentum Eucharistiae
non consistit in speciebus consecratis, neque pro
ipsis supponit.

Ad primum respondeo primò, cum Marco à
Serra, quod cum Tridentinum docet sacramen-
tum Eucharistiae adorandum esse cultu la-
triae, ibi accipitur continens pro contento; sacramentum
scilicet, pro Christo in eo contento. Unde cum
doctrina illa reducitur ad definitionem, sic propo-
nunt Can. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiae sa-
cramento, Christum unigenitum Dei Filium, non esse
eius la-
triae etiam externo adorandum, anathema sit.*

Respondeo secundò, concessa Majori, negan-
do Minorem, nempe quòd species Eucharisticae,
ut continentès corpus & sanguinem Christi, non
debeant adorari adoratione la-
triae, cum enim ex
eo quòd contineant Christum, sint ei conjunctae,
objiciuntur adorandae eodem actu quo Christus
adoratur, aded ut sicut qui adorat Verbum in car-
ne, eodem actu adorat carnem ipsam; ita qui ad-
orat Christum sub speciebus Eucharisticis, ea-
dem adoratione adorat ipsas species. Pro cuius in-
telligentia.

Sciendum est, species Eucharisticas posse duo-
bus modis adorari: vel simul cum ipso Christo, vel
prout distinctae à Christo, & praecise propter di-
gnitatem quam habent ex eo quòd ipsum conti-
neant. Si adorentur simul cum Christo, quamvis
res per se primò adorata sit Christus, concomitan-
ter tamen, & quasi implicite, atque aded eodem
cultu quo Christus, adorantur species illae. Si verò
adorentur ut distinctae à Christo, facit adorationem
illam non esse la-
triae perfectae, sed hyperdu-
liae; quia licet dignitas quae provenit in illis specie-
bus ex conjunctione ad Christum, sit major excel-
lencia & dignitate purè creata, & creabili, minor
tamen est quàm dignitas Christi, secundum se
considerati, & in hoc sensu debet explicari septima
Synodus.

Ad secundum dicendum, quod licet panis &
vinum non sint materia specierum consecrata-
rum, sunt tamen materia ex qua habent, quod
contineant corpus Christi, quod sufficit ut pa-
nis & vinum dicantur materia sacramenti Eucha-
ristiae.

Ad tertium respondeo species ut consecratas, 42.
sive consecrationem passivam specierum, ra-
tione cuius ex continentibus substantiam panis,
redduntur continentes corpus Christi, fieri per
verba consecrationis, & consequenter resul-
tare relationem earum ad corpus Christi prae-
sens.

Ad quartum nego Minorem, non solum enim
caro & sanguis Christi, sed etiam species con-
secratae, ut elevatae ad causandam gratiam, ratione
huius elevationis sunt cibus & potus animae, quo
spiritualiter nutritur; quia tamen caro & sanguis
Christi, utpote instrumenta divinitati conjuncta,
ad hanc nobiliori modo concurrunt, ipsis & non
speciebus in Scriptura hoc attribuitur. Per quod
patet responsio ad primam probationem Minori-
s. Ad secundam vero, nego antecedens; tam
enim species sacramentales quam humanitas Chri-
sti in eis contenta, concurrunt instrumentaliter
ad causandam gratiam; cum eo tamen discrimine,
quod humanitas Christi ad productionem con-
currit ut instrumentum Divinitati conjunctum;
species vero consecratae, ut instrumentum separa-
tum, & subordinatum humanitati Christi, ut in-
strumento conjuncto Divinitati, à qua tanquam à
causa principali derivatur virtus gratiae producti-
vae, & tam humanitas Christi, quam species sacra-
mentales moventur instrumentaliter & elevantur
ad gratiae productionem.